



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 1. Idem, apud Deum, pauper & diues: sed non item apud homines.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)



1.  
CROESVS ET CODRVS,

*Hoc est,*

COPIÆ ET INOPIÆ  
VEL DAMNA, VEL LVCRA, A DEO  
NON MINVS BENIGNE, QVAM IIVSTE  
DISTRIBVTA.

CAPVT I.

*Paupertas, ob quas caussas, hominibus odi-  
osa atque execrabilis esse videatur?*

§. I.

*Idem, apud Deum, pauper & dives: sed non  
item apud homines.*

**D**VÆ res, maximè inter se diuersæ,  
humanam vitam exercent, Copia  
& Inopia. Habent enim alij mul-  
tum, alij parum, aliqui etiam omnino ni-  
hil, in hoc Mundo. Quæ varietas illi ascri-  
benda est, qui regit Vniuersum. Vt enim  
paterfamilias, ea quæ in domo sunt, ita,  
quæcumq; in Mundo sunt, Deus distribuit.  
Ille, quia *Dominus vniuersorum* est, cui vult  
ea, dat ea: *Dominus pauperem facit, & ditat.*  
*Omnes in verbo Dei concordate; & diuitem,*

1. Reg. 26

7.

S. Auga

serm. 205<sup>o</sup>

de temp<sup>o</sup>

A

¶



& pauperem Deus fecit, ait S. Augustinus, scriptura loquitur: Dives & pauper occurrerunt sibi, fecit autem ambos Dominus. Dives & pauper occurrerunt sibi. In qua via, nisi in ista vita? Natus est dives, natus est pauper. Pares natura, dispares fortuna. Copiam vni, inopiam alteri destinavit. Itaque paupertas, & honestas à Deo sunt. Sed non perinde ab hominibus æstimantur. Qui diuitijs affluunt, facile agnoscunt, se beneficio affectos esse; difficilius credunt se à Superis amari, qui premuntur egestate. Hinc citò titubant; hinc queruntur; hinc nonnumquam etiam iudicant, malè iudicare, in terris, supremum rerum Moderatorè, vt qui iniustis det opes, iustis auferat; probos egere, mendicare, circumueniri, spoliari, omnibus fortunis exui; improbos gaudere, pinguescere, cumulare aurum atque argentum, & in omnium rerum optabilium abundantia viuere patiantur. Denique diuites, non secus atque diuos aspiciunt, & appellant; pauperes infelices arbitrantur. Vnde Germani, eodem vocabulo, pauperes, & miseros afficiunt. Quamuis enim non ignorent, plurimos esse miseros, qui pauperes non sint, nullum tamen vulgò pauperem esse posse existimant, qui non sit idem & miser.

§. II.

Eccli. 11.  
 34.